SECTIO XXVII.

DE LIXIVIIS.

LIXIVIUM BENEDICTUM.

℞ *Iner. Lig. & extrem. frond. Juniperi, Artemisiæ rub. Genistæ, Fabarum adhuc in paleis, Absynthii* ana unc. j. Et cum vini albi potentis s. q. fiat l. a. lixivium.

Vires, Usus, Dosis.

AQua intercute laborantibus singulariter prodest: Efficacissimè enim, & valentissimè aquam per urinam expellit, quo auxilio multos Hydropicos nullo alio diebus aliquot adhibito remedio sanavimus. Dosis manè stomacho jejuno ab unc.ij.ad unc.iij.

LIXIVIUM SAPIENTIÆ.

℞ *Ad.Caryophyllat.Pyrethri, Asari* ana unc. j. *Visci quercini, Olib. Succin.citrin.* ana unc.dimid. *Herb. Rorismarin.Majoranæ, Melissæ, Origani, Fol.Salviæ acut. Lauri* ana drach.ij. *Flor.Lavendulæ, Rosar.rub.Pæoniæ, Betonicæ, Primulæ veris* ana drach.j.Bulliant in lixivio dulci, dosteà ad usum reponatur.

Vires, & Usus.

CUm hoc lixivio semel tantùm in septimana, corpore purgato, Caput in læsa memoria, & ratiocinatione à causa frigida & humida, quæ aliàs frequentissima est, diligenter abluatur; Cerebrum enim, memorandique facultatem mirificè confortat, Spiritus animales illustrat, & ab Epilepsia, & Apoplexia præservat.

LIXIVIUM CEPHALICUM.

℞ *Fol. Senæ elect.* drach.vj. *Rad. Ireos Flor. sem. Carvi* ana drach.iij. *Herb. Euphragiæ cum florib. Verben. Majoran. Rorismarin. Salv. Origani* ana drach. ij. *Agarici alb. & levis* drach.j.dimid. *flor. Sthæcad. citrin. Chamomillæ, Rosarum rub Keiri* ana drach. j. Mista, & incisa coquantur in lixivio bono: posteà clarificetur, ut est artis, & sic paratum est.

Vires, & Usus.

IN dolore capitis valdè prodest. Insuper cerebrum, Nervos, oculos, sensusque reliquos egregiè roborat. Lavetur autem cum hoc lixivio caput bis in hebdomada. Sed illi, qui frigidi & humidi natura sunt, capitalibus lotionibus rariùs: Qui verò calidi & sicci, frequentiùs utantur.

LIXIVIUM ANTIASTHMATICUM.

℞ *Ad. Glycyrhiz. ras. Ireos Flor. Enulæ camp.* ana unc. dimid. *Succini citrin. Thuris alb. Gran. Myrti* ana drach.iij. *Herb. Salv. min. Betonic. Hyssopi, Origani* ana drach.ij.

ch.ij. *sem.Nigell.Carvi* ana drach.j. dimid. *Flor. Chamomill. Rosar.rub.Papav.errat. Anthos* ana drach.j. Condita saccu-lo coquantur in lixivio dulci, posteà clarificetur, & usui reservetur.

Vires, & Usus.

EX hoc caput singulis septimanis semel, aut bis ante cibum lavetur: In Asthmate enim siccat, & sistit destillatione ex capite ad subjectas partes; mox siccetur, contegaturque caput.

LIXIVIUM DIURETICUM.

℞ HErb. *Linariæ cum flor. Genistæ cum flor. Ebuli cum toto, Fol. Sambuci cum frond.* ana s.q. Fiat cinis, ut est artis, ex quo posteà cum vini Rhenani s. q. præparetur lixivium clarum.

Vires, Usus, Dosis.

FOrtiter Hydropicorum aquas per urinam expellit, & aliàs in dysuria, & Ischuria secretum est. Dosis ab unc.ij. ad unc.iij. per se, vel in vehiculis specificis.

LIXIVIUM TARTARI.

℞ T*Artari alb. ad nigredinem calcinat.* q. v. Fiat cum aq. pluviali destillat. lixivium, in quo posteà bulliant cortices Aurantiorum, & colaturam claram, & tinctam ad usum reserva.

Vires, Usus, Dosis.

SIngulis die bus ad tempus aliquod exhibitum, calculum resolvit, & expellit: nec non omnem, tam Renum, quàm Vesicæ mucilaginem insensibiliter educit. Dosis Cochl. j. in vehiculis specificis.

LIXIVIUM TINGENS.

℞ L*ixivii Sarmentor. vitis* lib. ii. *Rad. Brioniæ, Chelidoniæ, Curcumæ* ana unc. dimid. *Croci Lilior. alb.* drach. ij. *flor. Verbasc. Stæchad. citrin. Genistæ, Hyperici* ana drach. j. Coquantur simul, & fiat lixivium clarum, ut est artis.

Vires, & Usus.

CApillos colorat, clarificat, & flavos facit: sed crines crebrò lavandi sunt cum hoc lixivio; donec perfectè tingantur.

SE-